

dem nomini numero subtrahitur littera vel additur. Require Gen. XXIII. et IV. Reg. XVII. Quod autem etiam hebreo accidat hec mutatio probatur per II. Reg. XX. 6. Vbi pro Siba quod habemus. hebreus habet in serie (textu) sia. in margine sua. Aliis exemplis facile uti potuisset Criticus; neque enim סא Sia vel Sua etiam apud Kennicottum ullum extat vestigium, sed semper עבש legitur. Ad calcem totius Recensus adscripta est, et opportune quidem Hieronymi Epistola ad Sunniam et Eretellam. Deficit tamen ad Psalm. 139. in verbis: Sed hic et connectio superflua est. Integra legitur edit. Vallars. T. I. col. 635.

VII. fol. 232. praecedente folio, quod fragmentum cujusdam theologici de Incarnatione Tractatus fol. 235. continuatum exhibet temere hic insertum, sequitur 1) Catalogus Expositorum Biblie, ordine Librorum. Recentissimi hos inter Herveus Dolensis in Isaiam, et Radulfus, ut puto, Flaviacensis, de quo sic ad Exodum: Rabanus. uel Radulfus. sicut legi in quadam notula, et non Rabanus. Interim et Rabanus in Exodum scripsit, et Radulfus fortasse non nisi Scriptoris errore ad Exodum ascendit a Levitico, in quem ejus Commentarios habemus. Ad Ecclesiasten citatur Aquilinus, sed legendum videtur Alcuinus seu Alcuinus. Rariores praeterea Claudius in Judicum, Ruth et Matthaeum, quem Taurinensem habeo, et Florus in Ep. ad Hebraeos, qui Drepanius ille, seu

Magister et Diaconus Lugdun. fuerit. 2) CXXXV. Nomina Virorum illustrium e Libello Hieronymi sine ullo addito, inscripta: Ista sunt nomina uirorum illustrium qui aliqua ediderunt de sacra scriptura. 3) Alius Elenchus titulo: Isti sunt XII. uiri electi. Audiamus. 1. Augustinus ep. 2. Hylarius ep. 3. Origenes. 4. Eusebius cesariensis. 5. Eliodorus presb. 6. Ambrosius frater. 7. Dardanus. 8. Paulus. 9. Pelasius. 10. Jovinianus. 11. Julius. 12. Fauonius. Opipido ignorantem, aut παραδοξον fuisse oportet hunc Nomenclatorem. Pelasium putem Gelasium aut potius Pelagium, cum Jovinianus accedat. Quid vero his cum Augustino, Hilario &c. Quis vero Paulus, Julius, Favonius? Maxime ridiculus Ambrosius frater, natus haud dubie ex Hieronymi nota ad Paulinum Epistola, quae incipit: Frater Ambrosius &c.

VIII. fol. 233. usque ad finem praeclari Codicis, qui non inutilis fuisset iis, qui sub Sixto V. Gregorio XIV. et Clemente VIII. in constituenda lectione Vulgatae elaborarunt, Fragmenta Variantium in Prologis saepe dictis Hieronymi et Geneseos initio.

CCXLVI.

Codex membraneus lat. Sec. VIII. XIV. Folior. 385. f. max. per tres columnas luculente exaratus, literis initiorum picturatis et rubricis pulcre distinctus Concordantias Biblicas exhibet, et quidem, si Quetifo et Ecardo in Scriptt. Ord.

Ord. Praed. fides, qui T. I. p. 203. peculiari studio in illarum originem et autores inquisivere, tertiis curis retractatas a *Conrado* suo *de Alemannia, de Media Civitate*, seu *Halberstadiensi*; habent enim non loca nuda tantum indicata, ubi *Vox* quaequam in sacris Libris occurrit, id quod primo praestitit *Hugo a S. Caro*, neque textus integros additos, quae deinceps *Johannis de Derlingtonia* et *Rich. de Stavenesby* opera fuit, sed initia tantum textuum, quo rem reduxisse praedictum *Conradum* adfirmant, cujus nomen etiam in vetusta Editione *f. l. et a. f.* quae Codici nostro probe consonat, comparet. Praemittitur nobis Monitum de usu Operis, quod incipit: *Cuilibet volenti requirere concordancias in hoc libro unum est primitus attendendum. videlicet quod cum in primis concordancijs que dicuntur concordantie sancti iacobi quodlibet capitulum in septem partes distinguitur &c.* quod Monitum etiam in Editis v. g. *Spirae 1485. f.* comparet. Nota, *primas Concordantias Hugonis a S. Caro* dici *sancti*

A a a.

Je. I. c. XIII. d.

Eze. III. 5.

Joel. I. f.

Ex eo, quod ad superiorem Codicem dixi, liquet, praesentem ad prima *Concordantiarum* Tentamina pertinere, vixque jam ad certius aliquid perveniri posse, cum jam aevo suo *Antoninus Florent.*

Jacobi a Coenobio nempe Praedicatorum *Parisino*, in quo compilatae sunt, et in quo hodie longe alia compilantur. Ad calcem vasti voluminis nobis legitur: *Expliciunt concordantie Deo Gratias Amen.* Et minio: *Edite a fratre N.* (*Conrado Halberst.*) *Ordinis fratrum predicatorum in theologia Magistri.* Quae porro incrementa labor hic post multos alios successu temporis per *Franc. Lucam*, et *Gasp. Zamoram* ceperit, norunt, qui utuntur.

CCXLVII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 564 XIII. Folior. 318. 8. min. per quinque columnas nitide exaratus, coloribus distinctus et olim a *I. Alex. Brassicano* ad *Joh. Fabrum* delatus aliud est *Concordantiarum Biblicarum Exemplar*, ita ordinatum, ut cuiusvis voci serie alphabetica positae subjiciatur Liber et Caput, in quibus occurrit, addito numero, qui ad qualem Textus distributionem adpellet, nullibi exprimitur. Ita:

Aamon.

II. paral. XI. c.

Aara.

I. paral. v. 6. &c.

ipsemet *Dominicanorum Sodalitatis* T. III. Tit. 23. c. 11. §. 2. *Summae Histor.* scripserit: *A fratribus Ordinis compilatum fuisse (Librum Concordant.) non dubitatur, sed a quo, non clare invenitur.*

CCXLVIII.